



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||
LAVRETANAE HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

Torsellini, Orazio

Romae, 1597

Cap. 1. A Paulo III. beneficijs, decretisq. decoratur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)

HORATII TURSELLINI
 E SOCIETATE IESV
 LAVRETANAE HISTORIAE
 LIBER TERTIVS.



A Paulo Tertio beneficijs, decretisque decoratur.

Cap. I.



Pauli III.
beneficia.

ONTIFICIAM inde sedem Paulus Tertius excepit, qui Aede Lauretana ornanda, augendaque etiam cum ipso Clemente certavit. Namque initio fermè Pontificatus sui, & Indulgentiis eam, & beneficiis cumulavit. Quippe indignum ratus, sacrae Domus ministros ad usum dome-

sticum vix pecunia emptum salem habere posse; vicenos eis quotannis salis saccos ex Ceruiæ salinis assignavit gratuitos, non contemnendum beneficium, siue muneris perpetuitatem, seu necessitatem accipientium, siue dantis animum spectes. Eminent Pontificis animus in diplomatis procemio, quod libet attexere: *Postquam fel. rec. Xy-*

Pauli III.
testimoniū.

stus Papa Quartus prædecessor noster inter alia motu proprio Ecclesiam B. Mariae de Laureto, olim in honorem ipsius Virginis miraculosè fundata: in qua (prout fide dignorum habet assertio) ipsius etiam Virginis gloriosa imago Angelico comitata cætu, mira Dei clementia collocata existerat, & ad quam propter crebra, & stupenda miracula, quæ eiusdem Virginis gloriosa meritis, & intercessione ibi Altissimus operabatur, in dies ex di-

uersis

uersis mundi partibus etiam remotissimis, Virginis gloriose liberati praesidijs populi confluebat multitudo, & paulo post. Recolenda memoria Iulius Papa Secundus praedecessor noster attendens, quod non solum erat in dicta Ecclesia de Laureto imago ipsius B. Virginis Mariae, sed, (ut pie creditur, & fama est) camera, siue thalamus, ubi ipsa Beatissima Maria concepta, & educata, ubi ab Angelo salutata Saluatorem seculorum concepit. Caetera item persequitur, quae in suo diplomate Iulius Secundus posuerat.

Lauretum Recinetensium fidei committitur.

Cap. II.

PAulus porro haud ignarus, quantum boni sit in bono Praeside, id semper egit, ut optimos Laureto Praesides daret, donum omnium fortasse maximum. Alexander igitur Argolus Tarracinensis Episcopus à Pontifice Lauretano Patronus constitutus, rem Lauretanam praclare constituit, auxitque. Doctorum, grauiumque hominum complures in Canonicorum Lauretanorum Collegium cooptauit. sacrorum caeremonias solemniter, ac plane Pontificali peregit ritu, summa denique religionis, ac benignitatis laude, diuina, humanaque omnia per quadrienniū administravit. Huic Gaspar Contarenus Cardinalis, vel ingenij dotibus, vel artibus animi clarus successit, Laureti Patronus omnino bonus, sed mortis interuentu breuis. Nam cum per Galeatium Floremontium (qui postea Aquini Antistes fuit) rem Lauretanam optimè gereret, ingenti sui expectatione concitata, cessit è vita. Eius in locum successit à Pontifice Rodolphus Pius Cardinalis Carpenensis Patronus iuxta bonus, ac diuturnus. Qui sane Pij cognomen, etiam si à maioribus non accepisset, insigni sua pietate fuisset sibi pariturus. Non alius ante impensius Lauretanam Aedem ornare institit. Itaque eius in-

Alex. Argolus Laur. Patron.

Card. Contar. Laur. Patr.

Card. Carpen. Laur. Patr.